



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hyperdvlia Mariana

**Berchmans, Johannes
Canisius, Jacobus**

München, 1636

Testimonivm R.mi Iacobi Secci Æthiopici Patriarchæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55266)

familiarius se fuisse vsum, neque ægri
 inualetudinem cognouisse, neque per
 morbum visitasse; vt salutem suam eius
 precibus commendaret.

TESTIMONIUM

R.^{mi} IACOBI SECCI
 Æthiopici Patriarchæ.

EGO Iacobus Seccus affirmo, familia-
 liter me vsum fuisse Ioanne Berch-
 manno, Flandro Belgâ, in Collegio Ro-
 mano eiusdem Societatis, iuvene insi-
 gni vitæ innocentia, animi puritate, mo-
 rumque suauitate. Ob quæ ornamen-
 ta sæpius eum appellauit verum seruum
 filiûmque Beatissimæ Virginis, quam
 ardentissima charitate amabat ac vene-
 rabatur. Non rarò etiam sub vltimos
 vitæ menses, cum sacro meo ministra-
 ret, religioni habere, cæpi, tractari à me
 indignè irreligiôsèque diuina illa myste-
 ria, illo mihi ministrante, quem ob animi
 puri.

puritatem, aliarumque virtutum commendationem sciebam DEO acceptissimum esse. Cum in ultimam incidit ægritudinem circa Assumptæ Virginis festum, vtcunq; leuis initio esset morbus; per eam tamen opinionem, quæ de eius mihi sanctimonia erat, clarè dixi P. Marco van Doorne iam Collegij Gandauensis Rectori, id verò temporis Romano in Collegio mecum librorum inspectori, Ioannem verosimilius moriturum, non morbi quidem grauitate, sed quod tam castum MARIÆ seruum, ac filium, Deus sibi vindicaturus videretur. Post felicissimam eius mortem tria sacra, quæ defunctis in eadem domo Sodalibus expendantur, ego quidem persolui, non tamen pro moruo feci, sed de Deiparâ, vt gratiam referrem DEO, quòd talem tam innocentem MATRI suæ famulum in cælum transcripsisset. Vertebeam enim mihi in religionem, quasi posthabitarum diuinarum promissionum, si DEO preces, aut sacra pro illius anima persoluif-

fem, in cuius innocentissima vita, tam felici exitu absoluta, nunquam vel minimam deprehenderam actionem, quæ non ex diuinæ legis, aut Regularum nostrarum esset præscripto facta. Neque minus mihi certum est, illum iam in cælis à DEO ingenti cumulatam esse gloriâ, quàm se præsens hisce oculis vsurpasssem. Si autem vniuersas eius virtutes commemorando percurrerem, res ab illo plurimas affirmare possem, quibus censeo in omnibus eum excelluisse. Sed pauca hæc in DEI gloriam ac laudem de tam sancto ac innocente fratre nostro, Societatis alumno, nostrumq; omnium exemplo, iuratâ religiosè Sacerdotis fide putavi fuisse testanda. Hactenus Reuerendissimus Iacobus Seccus, Lusitanus, creatus Episcopus, vt succederet Æthiopico Patriarchæ, qui in eo itinere decessit, & Roma discessurus in Æthiopiam, hoc illi testimonium tribuit.